Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Aspirationes mentis et cordis - Cod. Ettenheim-Münster 82

Landsberg, Johannes Justus

[S.l.], [18. Jahrh.]

"O Jesu qua clemencia"

urn:nbn:de:bsz:31-108793

Visual Library

1

O Jesu quâ clementiâ
Tulisti nostra crimina.
Extrema mala sustines
ut nos â morte tolleres.

2

En hortum vix ingrederis
mox tristis esse incipis.
Tum confortaris cœlitus
Et sudor fit sanguineus.
Dum hostis furit impius
Tu ei pergis obvius
mox perfidus sacrilego
Te Judas tradit osculo.
Injectis inde manibus
Te miles rapit improbus
Te conjicit in vincula
Infligit crebra verbera.

gementes tui fugiunt [a]
in agrum lupi sæviunt
Te tota nocte exprobrant
Te velant, tundunt, lacerant.

[a] Ex hymn. Jo. Lansp.

provolvar Jeſu pedibus
ſtorebo in amplexibus
ex imo dans ſuſpiria
et flendo figens labia.

O Jeſu ſumma ſuavitas
et cordium jucunditas
incomprehenſa bonitas
me tua ſtringat charitas.

2

In alba veſte luderis
Pilato dum reduceris
En caro tua tenera
Fit tota plagis lacera.
Dum virgis atqz funibus
Cæderis nec non fuſtibus
indomitorum manibus
feriris tam innoxius.
Livore corpus tumuit
Conciſum flagris ſqualluit
Tremendum caput ſauciant
Dum ſpinis illud vulnerant.
O quanta agnus pateris
Dum tacens maledic[eris]
Illuſus dum conſpueris
Dum ſalutatus cæderis.

6 a Ex eod.

A nullo fit compaſſio
es omnium abjectio
crucifigendum clamitant
quos nullo pene ſatiant

Obediens ad victimam
crucemq; feres propriam
pro me ad mortem duceris
Et ſceleratis jungeris.

Crux premit in itinere
et vias rubent ſanguine
afflictum mater reſpicit
cor utriusq; deficit.

Quid bone Jeſu referam?
amori quid retribuam?
en ſi cor meum dedero
dediſſe parum reputo!

Amator ardentiſſime
Redemptor benigniſſime
me totum tibi conſecro,
ah ne me ſpernas obſecro.

3. O Jeſu! o quam miſere
à divo pendes ſtipite
in cruce cum latronibus
dum elevaris medius.

Quaſſantur membra livida
& renovantur vulnera
ſolutis iam compagibus
precaris pro tortoribus.

Conſputa pallet facies
cruore fuſo macies
conſumit membra arida
dum ſitis premit aſpera.

Et dum clamas ſitio
appeteris convitiis,
aceti, fellis mixtis
fit tandem tua potio.

Tormenta poſt innumera
nec ulla ſuis ſubſidia,
ad patrem triſtis clamitas
relictum te vociferas.

Anhelum pectus palpitat,
cor gemit, lingua obſtreat
te Patri offers filium.
emittis clamans ſpiritum,

O quam immenſa charitas
ô cordis mira bonitas
cor tuum dulce aperis.
te totum nobis tribuis.

O quam conſtringis ſervulos
quos redimis tam fortiter
o quanta tua pietas
o quanta noſtra vilitas.

Jeſu noſtra redemptio
ſpes vita conſolatio
fac mea mens ut ardeat
te ſolum ſemper ſitiat.